MEDITATIO VITAE ET MORTIS AUCTORE GERMANO CAN. PETRONZIO

Germano Petronzio



MEDITATIO
VITAE ET MORTIS

AUCTORE

GERMANO CAN. PETRONZIO

Hoc nos pessimos facit, quod nemo vitam suam respicit,
Sen. Epist. LXXXVIII.

Vive memor lethi: fugit hora....

Pers. Sat. V.



NEAPOLI
CAIETANUS RUSCONI
EXCUDEBAT
MDCCCLIV.



PROLOGUS

Rursus in eadem colluctor palaestra, benevole lector, ut animo obsequar Praesulis mei, praestantissimi atque ornatissimi viri, qui, ut egregium suum decorem augeret, ut dormientia excitaret ingenia, eaque ad divinarum humanarumque rerum scientiam acueret, nihil quidquam congruentius fore judicavit, quam litterariam congressionem instituere, in qua sacerdotes ditioni suae addicti sermones inter se pluries in anno consererent. (1) Sed priusquam su-

(1) Abbas Archicoenobii Montis Casini, ejusque Dioecesis Antistes, Michaelangelus Celesia, qui honoris gratia hic nominatur, anno proximo superiore hanc pulcherrimam institutionem, cui se ipse doctrina optimisque artibus excultus praefecit in civitate S. Germani, primus promovit, eamque ad universa oppida sui juris atque ditionis propagavit. Neque id sine consilio et ratione. Nam sacerdotes, quorum labia debent scientiam custo-

sceptae rei initium expediam, pauca tibi ad considerandum proponere operae pretium videor facturus.

Primum nihil est, quod admirere, si his moribus, quibus satis multi non eam philosophiam, quae recta ratione ducta, et cum coelesti doctrina copulata, vitia ex animis evellit, inserit virtutes, divina quaedam patefacit, pleraque humana multis obstructa difficultatibus aperit; sed illam sectantur, quae novitatis studio et corrupta mente dictata, quae Deo hominique ad-

---

dire, ut Dei legem, et quae ad religionem pertinent, ab eis discant ignari, hac exercitatione ita edocentur, ut supra nihil possint. Contra ea maxime deplorandum esset, si ob eorum inscitiam populus praeposteris judiciis corruptus, ibi fideret, ubi praesens est periculum; ibi trepidaret, ubi nihil est periculi; ibi conquiesceret, unde progrediendum erat; eo properaret, unde erat recedendum. Sed hoc Praesul providens non habuit satis. Totus quoque in eo fuit, ut quamplurimos, nominibus datis, amabiliter quidem et officiose impelleret ad tribuendam quotannis certam vim pecuniae, ea mente, ut presbyteris iniqua valetudine conflictatis, vel senio confectis, aut quocumque alio calamitatis telo percussis auxilium praesto esset, quin illud aliunde contra dignitatis decus efflagitarent. Inter reliqua, quibus hujusce viri sapientia enitescit, hoc quoque memorabile, quod optimum ratus praecipuam ac stabilem dotem adolescentibus foeminis, pauperculis praesertim, esse educationem; nihil non rerum sategit, ut eaedem in praedicta civitate a lectissimis virginibus, quas charitatis sorores merito vocant, quippe quum earum institutione nihil beneficentius, ad virtutem et muliebres artes, pecunia ex municipii aerario hausta, liberaliter atque egregie erudirentur. Adeo ei persuasum est, huc omnia esse studia referenda ab iis, qui praesunt aliis, ut eorum, qui suae sunt fidei potestatique commissi, consulant commodis, incommodis medeantur, et esse quam beatissimos velint!

Admonebat me res, ut alia praeclara de tali viro, tanquam in nucleo, exhiberem: sed modum putavi adhibendum, veritus, ne ejus modestiae quidpiam apportarem offensionis, aut emeritas ac debitas laudes verbis meis extenuarem. Nihilo minus censeo non fore dubium, quin ille pro singulari sua comitate, qua omnium sibi animos devincit, et memoriam nominis sui jucundam et diuturnam relinquet, hoc voluntatis meae indicium, hanc observantiae meae significationem, non adulationis specie fucatam, sed inustam notis veritatis, sit benigne excepturus.

versa, rerum ordinem perturbat, stultosque agit transversos, vitam et mortem tibi exhibeam meditandam. Quid, vere ut dicam, magis quaerendum, quam vitam fluxam fragilemque bene componere, et, vita bene acta, magnum sibi praesidium ad leniendam mortis aegritudinem comparare? Nescio, an omnium rerum, quae in philosophia versantur, ulla inveniatur hac fructuosior solidiorque; penes illos praesertim, qui, quae futura sunt post mortem, prospiciunt, ob eamque rem probitati aliisque artibus bonis intenti, non aevum exigunt, sicut caeteri, qui, blanditiis praesentium rerum deliniti, omnia exitiosa et caduca, quam utilia in posterum et aeterna ducunt potiora.

Deinde profiteor tam mihi gratum fore, quam quod gratissimum, si quidquid hoc libelli est, quod neque perfectum ingenio, neque elaboratum industria ad bonam mentem, non ad ostentationem tendit, benigne intuearis. Si quid secus, hoc tantum nomine fac tibi debeam, quod plerosque lectores, qui, eruditorum sibi assumentes supercilium, nodum in scirpo quaerunt, ut sibi judicii famam conficiant, indignos, quibus respondeatur, arbitreris. Quid, quaeso, cum illis agas, qui in libris evolvendis non hoc sibi proponunt, ut ab eis eliciant et tamquam exprimant aliquid, quod aut verum sit, aut ad id quam proxime accedat, neque ut aliqua vitia excutiant, aut aliquam legem vitae accipiant,

et inde, quae fuerunt verba, sint opera: sed ut graviter lippiant, ubi in quibusdam paginis non nihil eis occurrat boni, et, quasi lynceis oculis instructi, acutius videant, ubi putent quandoque scriptorem dormitare? Neque haec eo dico, quod qualiscumque meus labor, utpote qui ab homine confectus, non debeat in varias reprehensiones incurrere. Sed malim, ut id genus homines, quum sint fastidii delicatissimi, convivas imitentur, qui, si quid cibi in mensa non arridet, refutant et tacent.

Postremo si invenias, qui putent auctorem loqui malivolentia permotum, quum maleficia conviciis explodat, perinde quasi ignoret inhumanam esse voluptatem alienis malis delectari, sinas illos, quidquid in buccam venerit, garrire. Hi erunt fere, qui, conscii propriae pravitatis, tantum abest, ut animo aequo monitori praebeant aures, ut etiam, aliquid dictum in se inclementius existimando, veluti criminatorem sui aversentur: similes equis et mulis, qui calce morsuque eos appetunt, a quibus, curationis caussa, vulnera contrectantur. Sed quid vis dicam? Ita plerique ingenio sumus omnes, ut libenter, quod delectat, audiamus, offendat omne, quod nolumus, et vitia potius amemus, excusemus, defendamus, quam pudore suffusi summo studio adnitamur, ut penitus propulsentur. Quo nihil certe inconsideratius. Nam si genus hominum ex animo constat

et corpore, et per se sibi quisque carus est, res cunctae studiaque omnia nostra corporis alia, alia animi naturam debent sequi. Nihilo tamen secius homines cupidissime artem, quae corpus curaret ac tueretur, exquisiverunt, et, ut ejus utilitates perciperent, huc omnem industriam contulere. Quamquam autem quo majorem animus habet praestantiam, eo majore indiget diligentia, ejusdemque aegrotationes perniciosiores pluresque sunt, quam corporis, et difficilius evelluntur: tamen animi medicina nec magnopere quaesita est, antequam inveniretur, nec conservata et adhibita, ubi inventa, et a multis, tamquam suspecta et invisa, impudentissime repudiata. Quid si ipsa eloquia, quae Christus ad animi sanitatem effundebat, adeo videbantur dura, ut plurimi discipulorum retrorsum abierint?

Haec, benevole lector, ne te longis ambagibus, ultra quam satis est, obtundam, tecum ipse reputa, et Vale.



I. QUOTIDIE morimur, quotidie aliqua deducitur pars e vita. Hunc, quem agimus diem, hanc, qua loquimur, horam cum morte dividimus. Vita nostra est peregrinatio. Quum multum aut parum ambulavimus, redeundum est. Ad hoc, simul ut editi in lucem et suscepti sumus, Deus terminum posuit, quem ulterius neque diligentia, neque pretio, neque hominis potentis gratia possumus promovere. At si veniet tempus, et quidem celeriter, quo animus noster e compedibus corporis exsolvetur, summa ope niti decet, ut, citra mortis diem vitia emendando, eadem, qua nascimur, securitate e vita decedamus. Profecto si quis didicerit, quae opus sunt ad vitam recte instituendam, sapientiam percepit, et, ubi ea bene utatur, mortem sibi efficiet minus formidolosam, virtutisque fructus feret uberrimos. Qui legendo vel meditando persequitur caetera, non in remedium animi, sed in exercitatione aut ostentatione ingenii, vel in otii oblectamento desudat.

Verum si vivere et mori magna res est, quae tanta stultitia mortalium mentes invadit, ut alias scientias in ipsa ineunte adolescentia luculenter addiscant, easque multis ingenii luminibus interlitas, atque eloquentiae pigmentis multifariam illustratas in medium proferant: hanc vero in toto vitae curriculo penitus ignorent? Cujuscumque aetatis homines inscios vitae, timidos mortis reperimus. Inde fit, ut pejores, quam nascimur, moriamur. Nascimur enim sine cupiditatibus, sine metu: morimur avaritia corrupti, voluptatibus effoeti, ambitione inflati, pavore perculsi.

Longe secus doctissimi illi veteres, optimi vitae ac virtutis magistri, censebant. Etiamsi vera Christi lux minime eis affulsit; tamen, ratione tantum in consilium adhibita, sapientissime praeceperunt: Prius disce quid sit vivere (1): Vivere tota vita discendum est; tota vita discendum est mori (2). Sed et tota vita non satis est ad percipiendam recte vivendi sapientiam. Multi praestantes viri, et hi quidem splendidissimo praediti ingenio, in hoc uno, caeteris omnibus ex animo abjectis atque abdicatis, ad extremam usque aetatem curas cogitationesque posuere. At quidam ex his, convicti ac vi veritatis coacti, in supremo ipso anhelitu, quum jam in praecordiis conceptam mortem continerent, confessi sunt, multa se ignorare, et multa sibi etiam atque etiam esse discenda. Themistoclem illum, magnum Athenis virum, quum, expletis centum et septem annis, mortem sibi propinquam cerneret, dixisse ajunt se dolere, quod descisceret a vita, quando sapere coepisset (3). Nimirum quum consummaverit homo, tunc incipiet (4).

Quae omnia quum non semel, nec ad breve tempus, sed et saepe plane et diu mente agitassem; nihil magis necessarium duxi, quam de vita hominis et de morte disserere. Non dubium est, quin hoc argumenti genus plerisque nihil sit delectamenti allaturum; imo mihi certum est apud eos ipsos adeo tetrum atque injucundum fore, ut auditu refugiendum judicent. Sed nescio, quid ad mores vera virtute informandos, et ad mortem minus calamitosam horribilemque reddendam magis conferat. Quapropter ad rem progredior.

II. Nihil est in hominis vita longum. Nemo, tametsi ad summam senectutem vitam perduxit, potest dicere se diu vixisse. Prima quaeque aetas avolat, saepiusque caussas poenitendi, quam recordandi relinquit: hanc a tergo insequens assequitur senectus; ita ut a primordio vitae ad exitum paullulum intercedat spatii. Qua veritate compulsus, non se continuit Hie-

---

(1) Terent. Heaut. Act. V. Sc. II.
(2) Sen. de Brev. Vitae. VII.
(3) Hieron. Epist. ad Nepotianum.
(4) Eccl. XVIII. 6.

ronymus ,quin exclamaret : Fui infantulus , fui puer , fui adolescens , fui juvenis , fui vir , hoc est aetatis perfectae : dum nescio , senex sum : senectutem mors obrepit : morior quotidie , et nihil me esse non sentio : homo , dum nescit , interit (1). Scilicet si ex veritate magis , quam ex opinione rem velimus aestimare , nihil est aliud hominis vita , nisi quasi aqua , quae dilabitur in terram , et non revertitur (2) : nisi herba , quae mane floret et transit , vespere decidit , indurat et arescit (3) ; aut foenum agri, quod est, et cras in clibanum mittitur (4). Vapor ad modicum parens (5) ; vestigium nubis , et nebula , quae fugata est a radiis solis (6) ; momentum staterae (7) ; spuma gracilis , quae a procella dispergitur ; fumus , qui a vento diffusus est , et memoria hospitis unius diei praetereuntis , (8) humanae vitae recte comparantur (9).

Sed multi mortales , quorum omnis in amore terrae ita defixa cogitatio est , ut numquam animum excitent ad bonorum aeternorum cupiditatem , falsa rerum inanium specie decepti , naturam accusant , quod homini tam breve ad vivendum tempus largiatur. Hi quidem querimonias comprimerent , si repu-

---

(1) Hieron. in Psal. CXLIII.
(2) II. Reg. XIV. 14.
(3) Psal. LXXXIX. 6.
(4) Matth. VI. 20.
(5) Jacob. IV. 5.
(6) Sapient. II. 3.
(7) Isai. XL. 15.
(8) Sapient. V. 15.
(9) Hinc Pithagoras interrogatus aliquando quam longa esset mortalium vita, quum vix in conspectum venisset, raptim se ex oculis eorum, qui aderant, abstraxit, eoque modo vitae brevitatem significavit. Hinc Apelles Magnum Alexandrum illum, cui ad occasum ab ortu Solis omnia domita armis patebant, pinxit quasi fulmen manu gestantem, quod instar fulminis omnia pervasit, et extemplo, ut fulmen, disparuit. Nempe qui mundum sub suam redegerat potestatem, et, auctoritate Democriti praeceptoris impulsus, novos mundos imperio suo adjungere quaerebat, paucos post annos, exiguo contentus tumulo, naturae concessit. Adeo verum est, quod regius Psaltes cecinit : *Homo vanitati similis factus est : in imagine pertransit homo !*

tarent animis suis, vitam non tempore, sed usu esse metiendam. Vita hominum fabula est. Unus ducis, alius militis, alius civis, alius rustici sustinet personam. (1) At quomodo quidquid agitur in fabula non quamdiu, sed quam bene agatur, refert, et histrio, licet ad extremum non perveniat, dignus est, qui in scena spectetur, si in quocumque fuerit actu plausus excipiat: ita in homine, non quandiu vivitur, sed quam recte vivatur, considerandum est. Siquidem qui tempore bene uti velit, amplissimum illud potest efficere, numerum annorum multitudine operum superando. Sicut ingentes opes, quae ad hominem negligentem et malum pervenere, brevi dilabuntur: parvae autem, quae ab homine gnavo ac probo possidentur, sufficiunt usuque accrescunt: haud aliter vitam, si quis sciat uti, quam maxime longam potest efficere. Ex quo veteres philosophi: Unus dies hominum eruditorum plus patet, quam imperiti longissima aetas (2): Unus dies bene actus peccantis immortalitati anteponendus (3). Pulchre dictum, nec sapiens rex dissentit, de viro justo immatura morte praevento ita loquutus: Consummatus in brevi explevit tempora multa: contemnat justus mortuus vivos impios, et juventus celerius consummata longam vitam iniusti (4).

Verum enim vero quid tibi longaevitas prodesset, si indoctus incultusque nihil solidum, nihil gloriosum, nihil prae se ferendum appeteres aut faceres, et, blanditiis praesentium rerum captus, aetatem per luxum et socordiam traduceres? Non viveres profecto, sed tantum in vita morareris, tibique corpus voluptati, anima oneri esset; et, quoniam ignavia nemo immortalis factus, iisdem finibus nomen

(1) Hinc Augustus Caesar, qui, toto terrarum orbe superato, et armorum furore ubique sopito, in maxima felicitate duo et quadraginta regnavit annos, moriens, ut autumat Svetonius, amicos ad se arcessiri jussit, eosque ita interrogavit: *Satisne belle personam meam egi? Utique in imperio quasi, in comoedia.* Quum illi annuissent: *Valete*, inquit, *et plaudite.* Haec ubi dixit, reductis cortinis, animam efflavit.

(2) Possidonius apud Senecam. Epist. LXXXVII.

(3) Cic. Tuscul. V. 2.

(4) Sapient. IV. 13 16.

tuum, quibus vita, terminaretur; sic ut tumulus, qui corpus tuum contegeret, nomen etiam obrueret. Contra ea ille, quum adhuc viribus et aetate floreret, diem suum obiit: sed decrepitos senes splendore ac dignitate vitae superavit. Somno et cibo in vitam, non in voluptatem usus, quidquid exigui temporis ei contigit, id in recte factis collocavit. Non fuit unus e multis, qui quasi perdendis tantum frugibus nati sunt. In religionis cultu curas cogitationesque defixit, eumque nullo simulationis artificio exercuit: in parentes observantiam, veritatem in amicos, in cives liberalitatem, in omnes justitiam adhibuit. Gloriae stimulis concitatus, ingenium, quo neque melius, neque amplius aliud in mortalium natura est, doctrina et bonis artibus excoluit. Jurgia, discordias, simultates, humanae societatis pestes, exhorrescens, se infimis summisque, dum vixit, amabilem: desiderabilem, quum excessit, reddidit. Si hominem natura inchoat, educatio animique cultura eum absolvit, nonne istius, quamvis aetas imperfecta sit, perfecta est vita, ex eaque fructum est amplissimum consequutus? Nonne vivet in hominum memoria, quamdiu probitati, virtuti, sapientiae locus erit?

Hoc mihi tu velim credas affirmanti, nihil magis ad reddendos homines solertiores conferre, quam vitae brevitatem. Nam, ubi quisque sibi persuasit se brevi victurum, totus et mente et viribus instat, ut opere compleat, quod agere destinavit, et quam celerrime brevitate utitur vitae, ut terminos sibi a Deo praestitutos virtute et egregiis factis quam maxime proferat. Contra haec longinqua vita confisus omnia prolataret, et, quum sit cuique fere jucunda negligentia, per otium sineret manus aut animum eo torpescere, ut fortasse non modo quaedam non absoluta et ad tenue elimata, sed ne infecta quidem; aut inchoata relinqueret. Quapropter graviterque et vere ille rerum romanarum florentissimus auctor: Falso, inquit, queritur de natura sua genus humanum, quod imbecilla atque aevi brevis sorte potius, quam virtute regatur: nam contra, reputando, neque majus aliud, neque praestabilius invenias, magisque naturae industrium hominum, quam vim aut tempus deesse (1).

(1) Sallust. in exord. Jugurthae.

III. Praeterea illud est animadvertendum, quod nos, ubi per luxum et inertiam vires, tempus, ingenium defluxere, injuria de brevitate vitae lamentamur. Cur non fatemur potius, nos non inopes vitae, sed prodigos esse, quum ipsi ex eo, quod datum est, magnam partem amputamus, ut rebus nihil profuturis, aut voluptariis, aut etiam vitiosis vacemus?

Brevis est vita. At quantum ex hac parva exigui temporis usura non demunt barbatuli juvenes, qui, officia lucis noctisque pervertentes, ita arcte et diu in lectulo cubant sopiti, ut solem exorientem numquam viderint (1)? Quantum vitae non

---

(1) Noctem natura somno tribuit: Sol exoriens hominem ad vitae munia revocat. Qui dormiunt, inquit Paullus, nocte dormiunt. Proinde quid contumeliosius, quam, quum omnia animantia simul cum Sole expergiscantur, quaedam etiam illum nondum apparentem, sed adventantem cantu salutent, elephantus orientem adoret, hominem diu post Solis exortum somno adhuc consopiri? Quoties illud luminare majus diem efficit, toto coelo luce diffusa, nonne videtur exprobrare dormienti: Siccine, o stulte, optimam totius diei partem absumis? Non in hoc luceo, ut abditus matutinas horas dormiendo perdas; sed ut vigilando ad res honestas sedulo incumbas. Nemo lucernam accendit, ut dormiat, sed ut aliquid operis agat: tu ad hanc lucernam omnium pulcherrimam nihil aliud, quam stertis, ut nec inter mortuos nec inter vivos, sed potius inter mortuos, censearis? Equidem somnus mors quaedam est. Unde poeta Sulmonensis nunc certam Somni regiam apud inferos fingit, nunc Somnum mortis imaginem appellat. Ab Homero mortis germanus, et a Marone consanguineus lethi sopor nuncupatur. Quamobrem Leontinus Gorgias, morte jam impendente, sensim in somnum delapsus, dixit: *Jam somnus incipit me fratri suo tradere.* Quae si vera sunt, quare accusatur natura, quod hominis vitam tam angustis spatiis finierit, quum ex tam pretioso dono tantum projicitur dormiendo? Recte videtur dixisse Plinius, vitam esse vigiliam, et hoc pluribus horis hominem vivere, quo majoris temporis partem impenderit studiis.

Nulla autem jactura deplorabilior illis est, qui in scientiis aut nobilissimis artibus versantur, quam antelucana vinci leviorum opificum industria. Isti enim nihil, praeter ea, quae corpori serviunt et vetustate corrumpuntur, quaerunt: illi fructum animi cum nominis immortalitate sectantur. Et sane faber aerarius, tenebris nocturnis nondum fugatis, ob vilem lucellum somno excutitur: nos studium sapientiae, qua nihil pulchrius, nihil amabilius, quae, ut scribit Plato, si corporeis oculis cerni posset, incredibilem sui amorem excitaret, non debet expergefacere? Medici non fere dant pharmacum, nisi diluculo. Illi norunt horas propitias, quibus aegro corpori opitulentur: nos, ut locupletemus ac sanemus animum, utiliores diei horas in somno sinimus praeterire? Certe quidem homo, ut primum illu-

sibi resecant, dum, vix experrecti, ante speculum longa desidia commorantur, ut de singulis capillis consultent, aut dissectam comam restituant, vel rejectam negligenter hinc atque illinc in frontem compellant discriminentque; ut niteant unguentis, vestibus fulgeant, et munditia nimis exquisita calamistratos saltatores, aut cincinnatas mulieres antecedant? Quantum iidem, nescientes nos ad moliendum aliquid et agendum esse natos, ex hac brevissima aetate non dissipant, dum ultro citroque cursitant, petita relinquunt, relicta repetunt, et inter cupidinis taediique vicissitudinem sibi ipsi obstant instar lapidum pistrini, qui, quum molant nullo injecto frumento, se se atterunt comminuuntque? Quam magnum esset, si quid reliquum est diei, illud non tribuerent libris, qui dictati ab insanienti perditorum hominum sapientia, et verborum quasi quibusdam praestigiis referti, nervos virtutis incidunt, animos avocant a religione, radicitus Deum a pectore abstrahunt, et, objecta falsae doctrinæ specie, ita eorum corda inficiunt, ut venena mentium, donec vitam et spiritum ducunt, numquam amittant.

Rursum brevis est vita. At quantum ex ea ab illis non subtrahitur, qui, longe aliter atque oportet, operantur; et nihil ponderantes turpe, iniquum, intolerandum esse suscepta officia aut negligere, aut ad suum commodum convertere, tantum abest, ut, quod conceditur temporis, hoc in illis cum inte-

---

xit, totus est homo, dum alacer viget animus, dum validum et habile est ad omne officium corpus, ejusque sensus, mentis administri, tranquilli sunt ac sereni, dum aurae divinae, ut ille ait, particula originem suam spirat ac sapit, et rapitur ad honesta.

Quod si haec apud nos non multum habent ponderis, quid per Salomonem loquatur coelestis illa sapientia, audiamus: *Qui mane, inquit, vigilant ad me, invenient me.* In psalmis quanta matutini temporis commendatio! Mane propheta extollit Dei misericordiam; mane illius deprecatio Deum praevenit; mane vox ejus exauditur. Turbae, ut Lucas evangelista testatur, sanitatem ac doctrinam expetentes a Christo, mane ad illum confluebant. Vide, quam magnum vectigal sit parsimonia somni, et quae matutina pervigilatio divina beneficia largiatur. Quare, improbam Sirenem, desidiam evitemus, et somnum, Dei munus, tantummodo, veluti requietem corpori necessariam, et medicinam quamdam laboris, adhibeamus.

gritate et constantia obeundis impendant, ut etiam multas horas in nimia animi et corporis requie captanda, in blanda conversatione, in officiosa per urbem discursione, in allocutione inani, in stulta laetitia, in alea, in conviviis ad multam diem productis sinant præterfluere?

Atque utinam (non timide dicam, quod dicendum est) illorum vestigiis non inhaerescerent, qui auctoritate pollent, et secum ipsi reputarent in officiis perfungendis saepe necessitates aut temporum momenta incurrere, in quibus rejiciendæ sunt voluptates, non recusandæ molestiæ, vigiliæ perferendæ, ut eos, quibus praesint, omni ratione tueantur, eorumque utilitati salutique serviant, querelas audiant; ut puniantur prava, et emendatio subsequatur; honorentur recta, et, præmiis ad veram meritorum æstimationem distributis, virtus (etsi suis gaudet ac fruitur bonis, nihil exstrinsecus assumit) acrius ad majora incitetur (1).

Nec tamen est haec oratio mea hujuscemodi, ut, gravibus seriisque rebus confectis, numquam sibi aliquid sumant temporis ad fruendum iis honeste, quae possint vires languidas reficere, et animos debilitatos recreare. Si fertiles agri assidua

---

(1) Apud priscos illos romanos, auctore Vellejo, paena in malos sera, sed aliqua: honor dignis paratissimus, ita ut quibusdam novitas familiae numquam obstiterit, quo minus ad multiplices consulatus triumphosque et ad pontificatum etiam maximum niterentur. Neque gratia aequitatem, neque ambitio virtutem superabat. Magna conatis magna praemia proponebantur: magni animi magnis honoribus fiebant. Profecto quamquam virtus nulla potest esse, nisi gratuita, et illa sit fallax imitatio simulatioque virtutis, quae non honesto, sed quasi mercede aliqua ad officium impellitur: tamen hoc censuerunt illi sapientes, in cujusque animo virtus inesset, ei plurimum esse tribuendum. Praeclare Laelius apud Ciceronem in tertio de republica libro: *Vult plane virtus honorem, nec est virtutis ulla alia merces: quam tamen illa accipit facile, exigit non acerbe. Sed aut ingrati universi, aut invisi multi, aut inimici potentes suis virtutem praemiis spoliant: nae illa se tamen multis solatiis oblectat, maximeque suo decore se ipsam sustentat.* Verum id quidem. Sed hac temporum memoria ubi de centum millibus invenias unum, qui, desperatis emolumentis, vel honoribus detractis, putet virtutem vi sua et dignitate esse expetendam? Ubi non inspicias hebescere virtutem, et, qui ei debentur, honores et praemia a gratia et ambitione possideri?

cultura exercitati habentur, cito exhauriet illos numquam intermissa foecunditas: ita corporis animique impetum assiduus labor frangit. Hinc Africanus ille et Augustus, quorum de virtute et gloria nulla umquam obmutescet posteritas, non vituperantur, quod primus, onere deposito officii, triumphale illud et militare corpus ad numeros moveret; alter simpliciter et palam honestis jocorum illectationibus animum exhilararet (1). Ipse Christus fecit discipulis suis potestatem, ut a totius diei labore defessi aliquid caperent requietis (2). At accurandum, ut congruo tempore severitas et occupatio abjiciatur, et ista jucunditas ita sit, ut non resolvatur animus curis publicis fatigatus, sed relaxetur, eoque modo excitatus arrectusque, quod sibi oneris imposuit, illud deinceps intentius solertiusque sustineat. Sed illuc redeat, unde aberravit, oratio.

Postremo brevis est vita. At quantum boni temporis plerique, docti ad malitiam, ad fraudem acuti, pessimis rebus non concedunt, dum vindictas moliuntur, insidias instruunt, aliena facta maledictis destringunt; dum alia quaedam machinantur, in queis, divinis et humanis omnibus proculcatis, vincat utilitas? Quid hoc ego loco eos commemorem, qui, non intelligentes nihil esse aliud bene et beate vivere, nisi temperanter et pudice vivere, brevi aetate properant abuti, dum, titillante gula, et ad sumenda plura, quam necesse est, provocante, se nimio cibo et potioni corrumpendos tradunt; dum omnium non bipedum solum, sed etiam quadrupedum impurissimi, ad foedas quasdam voluptates tanto ardore impetuque rapiuntur, ut insigni turpitudine notati vitam, quam gloriosissime degere potuerunt, maturius amittant?

Exiguum est et cum taedio, conclamant quasi mente incitati, tempus vitae nostrae, et post haec erimus, tamquam non fuerimus. Fruamur bonis, quæ sunt, et fruamur creatura tamquam celeriter: vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non praetereat flos temporis: coronemus nos rosis, an-

---

(1) Seneca de Tranq. Animi XV. — Sveton. in Octav. XVII.
(2) Marc. VI. 31.

tequam marcescant : nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra (1). O tenebrae, o lutum, o sordes! Hanccine vitam? Hoscine mores? Haec, de quibus utrum pudeat magis, an pigeat disserere non facile dixerim, stultissime blaterat ex argilla tantum fictus Epicurus, et greges philosophorum, qui ejus vestigiis insistentes, et tamquam ex hara, non ex shcola producti, omnia, quae sequantur in vita, quæque fugiant, voluptate et dolore metiuntur, perinde quasi temperantia, pudicitia, decus, reliquæque de genere hoc virtutes, inanium sint crepitus verborum, et vitam non efficiant ita beatam, ut beatior esse non possit.

At si caligo, quae eorum mentibus offunditur, non impediret, quo minus, ut oculorum, sic ingenii aciem exacuerent, perspicerent et animadverterent, animos humanos nullam aliam ob caussam in corpora, quasi in vasa aut aliqua receptacula, infundi, nisi ut ad imitationem Dei mundum regentis, illa regerent; nisi ut essent homines, qui tantam varietatem pulchritudinemque rerum coelestium, tantam vim et magnitudinem maris atque terrarum inspectantes, tum Deum ipsum agnoscerent colerentque effectorem, tum vitam ipsam tam brevem cum pietate, justitia, honestate atque industria congruentem transigerent. Haec ubi comperta haberent, conscii melioris vitae, et bene animati spe immortalitatis et remunerationis percipiendae pro modo virtutis, ad quam in hac vita pervenere, neque animum ab hac materia discretum, tamquam capite damnatum, morte multarent, neque se ita abjicerent atque prosternerent, ut inconsulte ac veluti per dementiam quaecumque dici aut fingi queunt ignaviae luxuriaeque probra, et alia amplius, exercerent.

Sed quid multa verba, si frustra cum illis, qui cum Anaxagora nivem atram judicant (2), de albedine disputatur? Ut plerique morbo aliquo et sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt: sic id genus homines verae doctrinae gustum non ha-

(1) Sapient. II. 1 et seqq.
(2) Cic. Acad. Quaest. IV. 23

bent. Quin etiam se tam insigniter perversos et impudentes ostendunt, ut a pravis opinionibus, quae hac de re sunt eorum mentibus insitae penitus atque inustae, neque monitis aut argumentis quibuscumque, neque Dei promissionibus, neque praesentis vitae calamitatibus, neque timore futurorum possint absterreri. Quamobrem pergamus ad ea, quae restant.

IV. Sed non solum breve tempus est vitae; verum etiam caliginosa nocte premitur hora, quae finem illi apponet. Profecto Deus cuique vitam est dilargitus, tamquam rem apud hominem depositam, nulla pacta die; ideoque potest eam, quum vult, repetere (1). At si finis hominis est adeo incertus, ut, quum in lectulo membra quis reposuerit, non possit confidere de lucis adventu: si nemo est tam adolescens, cui sit exploratum se ad vesperam esse victurum, falso complures in longitudinem consulunt, et diem crastinum, quem in incerto habent, animo volutantes, atque hodiernum, qui fere in manu est, dimittentes, sibi proponunt in posterum invadere eos, qui damna

---

(1) Hic quaeri potest: quare finis vitae absconditus sit? Hoc et alia multa latent quidem crassis occultata tenebris, nec potest homo sine arrogantiae nota Deum accusare, quod quampluriinis in rebus veritatem in profundo abstruserit; ut tot saeculis, tot ingeniis, tantisque studiis quaerentibus, nihil percepti neque cogniti de eisdem in hunc usque diem habeatur. Attamen cogitanti hac de re talia probabilia fere succurrunt.

Primum incertum vitae finem nobis dedit Deus ob eam caussam, ut quisque in incerta mortis expetatione ad vitam bene componendam, eamque egregiis factis exornandam quotidie animum adjiceret. Etenim quam multi, dum aetatem degunt, nullam recte factorum susciperent curam, nec aliquid in Dei laudem gratiarumque actionem peragerent, si finem suum compertum haberent? Certe quidem dies nullus esset, quo die vitiis non indulgerent; et tunc, meritis quibuscumque exspoliati, cogitationes ad bene agendum conferrent, quum sibi finem adesse intelligerent. Si nunc mors, eo quod incerta, cunctorum animos perterrescit, et tamen fere omnes contra jus fasque divitias congerunt, serviunt irae, serviunt ambitioni, serviunt libidini, serviunt livori, atque ita vitae cursum conficiunt: quidnam isti, si certam mortis horam dignoscerent, essent facturi? Dehinc latet ultimus dies, ne justi, qui, morte incerta, quotidie moriuntur, quotidie parati sunt et intenti, taedio vitae afficiantur. Multae enim acerbitates in percurrenda virtutis semita sunt ab eis perferendae. Sed haec hactenus, ne similis illis videar, qui ad quascumque sunt quaestiones, quasi tempestate, delati, ad eam, tamquam ad saxum, adhaerescunt.

intulerunt, de inimicis ultionem sumere, aliaque foeda et atrocia quaedam facere, dum haud ita multo post, et fortasse eo ipso die, de improviso celeriusque opinione morte intercipiantur. Hoc quoque non inani aliqua conjectura prospicimus, sed experti videmus inter mortales non raro accidere, ut subito casu, vel brevi hora rapiantur, qui, juxta ac si foedus cum morte pepigissent, sibi longam beatamque vitam portendebant. Nam, similes diviti illi evangelico, qui in incerto reliqui temporis eventu felicitatem suam collocabat (1), dum juventute viribusque freti, et fortunae omnibus bonis circumfusi, securius diutiusque in deliciarum abundantia vivere arbitrabantur, mors repentino irruens impetu, eorum spes succidit, omniaque ex laetitia et voluptate in luctum et lacrimas convertit. Adeo momento temporis mare, quod nulla, ne minima quidem, aura insusurrans commovebat, tempestatis jactatione perturbatur! Adeo navigia, quo die secundis tuta flatibus ferebantur, et in nautas vectoresque hilaritatem infundebant, saevientibus quassata fluctibus exsorbentur!

Praeterea si tempus, quod terminum ponit vitae, in occulto latet, et ipse Christus praecepit, ut ob id ipsum simus vigiles et parati (2); non vocare quotidie animum ad rationem reddendam, eumque ad recta reducere, priusquam ventum ad extremum sit, ea vero stultitia est. Quando ibis dormitum, inquit Chrysostomus, excita judicium tuae conscientiae, ab ipso rationem exige. Per diem non habuisti tempus. Injunctum negotium, confabulatio amicorum, domestica necessitas, filiorum cura, uxoris sollicitudo, et caeterarum mille te rerum circumdederunt caussae. Quum in lectulum tuum veneris, tamquam ad tranquillum portum, et nemo tibi molestus est, nemo pulsat, dicito in corde tuo: Expendimus diem, o anima, quid boni fecimus, aut quid mali operati sumus? Si quid boni fecisti, gratias age Deo: si quid mali, de caetero ne facias (3). Quare sapienter vitam instituebat Hebraeus vates, qui singulis noctibus se se colligebat, omnique cogitatione conscientiam pertractabat, ut si quid labe foedatum invenisset, statim elueret. (4)

---

(1) Luc. XII. 17 et seqq.
(2) Matth. XXIV. 42 et 44.
(3) Chrys. Hom. in Psal. IV, et Hom. II in Ps. L.
(4) Psal. LXXV. 6.

Eum sequutus Antonius Aegyptius, quotidie ipse se percontabatur. Investigatione peracta, culpas, si quas comperisset, litteris consignabat, eo consilio, ut ab eis deinceps plurimum abesset, et pavesceret, ne per scriptionis indicium evulgarentur (1).

Re quidem vera, quam magnum est errores suos coarguere, aliquid ex eis deponere, intelligere sua vitia esse, quae rerum putantur. Qui vitae suae summam quotidie colligit, non indiget tempore, et minus ex crastino pendet: singulos dies singulas vitas existimat. Qualis somnus non se insinuat in hominem, quum laudatus est animus aut admonitus, quum speculator sui censorque segretus factus, hanc ipse sibi legem imponit, ut bonos mores retineat, depravatos corrigat et insectetur? Qui hanc sibi futuri temporis indicit cautionem, conatu haud ita magno desidiam excutiet; quod vitiosum est, ad breve quoddam tempus evellet; ad virtutem sibi viam muniet, aditumque patefaciet, et quum accesserit mors, illum non inveniet eo imparatum, ut in durissimum Dei judicium incidat.

Quae si vera sunt, accelera. Si dies finitionis ignoratur, et (quod Deus averruncet) potest hic esse, quo hujus libelli paginae volutantur, velut a torrente, qui rapide dilabitur, celeriter hauriendum est. Quaedam opportunitates, dum adsunt, ita debemus amplecti, quasi non eaedem semper affuturae sint. Qui eas rejicit, aut in aliud tempus dimittit, amissas frustra concupiscet, et illi merito accidet, quidquid evenerit. Ac sane, quoties sinis dies et annos fluere, quin animum vitiis deformatum in antiquum locum gratiae et honoris vindices,

---

(1) Cassiod. Hist. Eccl. I. 11. Ab hac praeclara consuetudine ipsi gentiles haud alieni extitere. Pytaghoras, teste Laertio, discipulos admonebat, ut quid quoque die dixerant, audiverant, egerant, vesperi commemorarent. Lucius Annaeus Seneca, quemadmodum ipse de se loquitur in tertio de Ira libro, numquam unam intermittebat noctem, quin, e conspectu lumine sublato, bene, quaecumque gesserat, pensitaret. Quod legimus etiam a Tullio nostro factitatum, a Flacco, nec non ab Agesilao, qui, ut in Idyllio quarto canit Ausonius:

Non prius ad dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quam longi reputaverit acta diei,
Ut pravis doleat, capiat vel gaudia justis.

fieri potest, ut delicta tua, ubi numerum expleverint, ungue adamantino in libro justitiae conscribat Deus, et omnem de te ejiciens animum patris, adeo durus et inexorabilis evadat, ut neque misericordia, neque precibus molliatur. Potest quoque fieri, ut quum velis vitam corrigere, non possis. Nam, Augustino praecipiente, illa est poena peccati justissima, ut amittat unusquisque illud, quo bene uti noluit, quum sine difficultate posset, si vellet: id est, qui sciens recte non fecit, amittat scire, quod rectum sit; et qui recte facere quum posset, noluit, amittat posse, quum velit (1).

V. Numquid tibi destinatum in animo est ad virtutis normam vitam componere, quum ad aetatem ingravescentem perveneneris? At quis, dum vigent vires, animus valet, potest confidere futurum, ut senectutem attingat? Nonne vides, ut mixta senum ac juvenum densentur funera? Nisi quod senibus mors est in januis; adolescentibus vero in insidiis. Nam isti melius, pejus, prosit, obsit, nihil vident, nisi quod lubet: facilius in morbos incidunt, gravius aegrotant, tristius curantur; ideoque plures, quam senes, mortis casus habent. Quapropter istuc est sapere, ante senectutem curare, ut bene vivas: in senectute, si Deus hanc tibi largiatur, ut bene moriaris. Quid habet aliud aetas ista, quo se fulciat, nisi adsit vitae innocenter actae recordatio, ac spes vitae melioris? Haec sunt duo adminicula, quibus nititur senecta. Quod si, his subductis, imponas geminam sarcinam, vitae perperam actae memoriam, et futurae felicitatis quamdam desperationem, quid ea tristius miseriusque dici aut fingi potest?

Ad hoc, vitam inchoare, quum id aetatis fueris, in qua desinendum, atque illud bonae menti tribuere, quod propius est a fine, et in nullam rem egregiam potest conferri, temeritatis esse videtur. Etenim si te senectus, quae per se ipsa est morbus, gelu rigentem viribusque fractum reddet, et mollioris vitae appetentem: fieri qui poterit, ut te ad capessendas impigre virtutis asperitates inflammes, ad eamque trepi-

---

(1) August. de Arbitrio III. 18.

dante gressu et languido contendas? Putasne per semitam tum mollissimam et expeditissimam, tum rosis et violis constratam, quamque viridantes omni ex parte opacent patularum arborum comae, posse homines ad illam accedere? Virtutis via, paucorum notata vestigiis, arcta est et confragosa. Laborem, sudorem, vigilias illius atrio ac vestibulo excubare voluit Deus.

His etiam adde, quod in mortalium vita meliora praetervolant, deteriora succedunt. Ut in amphora, quod primum, sincerissimum est, et, quod subsidit, gravissimum turbidumque: ita in homine, quod praestantissimum, in primaeva aetate invenitur. Et tu, postquam haec in vitiis exhausta sit, Deo, cui optima et prima debentur, vis faecem reservare? O stultitia! Stultitiamne dicam, an ingentem contumeliam? Hoc, quantum ego intelligo, unum et idem est, ac Deum veluti canem aestimare, cui quidquid vile et inutile ex ciborum frustulis projicitur.

VI. Objicies: Nulla aetas immatura coelo: numquam est sera conversio. Scriptum est: Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua (1) Quis enim ignorat, Deum creatorem omnium noctem in diem, et diem in noctem posse convertere, et aquas maris amarissimas aethereo calore suspensas excolere in dulcem pluviarum saporem? Cur igitur desperandum, me decrepitum senem, et omnibus iniquitatibus suffarcinatum ab illo veniam esse impetraturum?

Dicuntur ista magnifice. Nam non possumus dubitare, nisi in divinis studiis plumbei sumus, quin Deus sit indulgentissimus, et merita Christi praestantissima et infinita. Ut medicorum scientia suspicitur, et amplissimis effertur laudibus, qunm morbos gravissimos curat et sanat: sic Dei potentia in maxima scelera diluendo potissimum enitescit et celebratur. Quis Deus, dicebat ei Michaeas, similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum haereditatis tuae (2)? Illud etiam satis constat, quod unumquemque judicat Deus sicut invenerit,

(1) Ezechiel. XXXIII. 2.
(2) Mich. VII. 18.

nec praeterita considerat, sed praesentia, si tamen vetera crimina novella conversione mutentur (1). Sed hoc opus, hic labor est, ut quum exactae jam aetatis fueris, ad integritatem vitae recuperandam totus incumbas.

Remedium in peccatum accelerata correctio. Plagae, ubi medicina prolatatur, vehementius aggravescunt. Sicut repens oculorum tumor citius sanatur, diuturna lippitudo aegrius depellitur: haud dissimiliter animus, ubi vitiis, quae satis multos annos aluit contra se, consenuit, difficillime ex eis convalescit et exsurgit. Si quando auditum hoc vel visum sit, incredibile ac portenti simile numeretur. Quot enim senes, qui haud longe absunt a sepulchro, non vidimus semet in avaritiae, aut libidinis, aut ambitionis sordibus adhuc revolvere? Ex quo natum, jam tritum sermone, proverbium: Difficile est canem vetulum loris assuescere: difficillimum veteratorem mutare mores. In hos belle caderet Jeremiae illud: Si mutare potest aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos potestis benefacere, quum didiceritis malum (2). Quod maxime accidit, si quis, postquam ex ephebis excessit, eique, amoto metu et magistro, vivendi liberius fuit potestas, a rectis in vitia, a vitiis in prava, a pravis in praecipitia pervenerit, quin ad lapsus agnoscendos, eosque devitandos animum umquam appulerit. Tunc quidem illecebrarum corruptelae, in quas se ingurgitavit, ita permanant in venas, atque in ossibus reconduntur, ut cum eo in sepulchro obdormiscant. Neque mirum. Recens testa servat odorem, quo primum imbuta est. Alexander, ille orbis domitor, ex erratis Leonidae paedagogi sui, quibus se jam inde a puero irretierat, numquam, aetate jam confirmata, potuit expediri (3). Ipse Augustinus, incredibile memoratu est, quantum animo conniteretur, quantum viribus contenderet, ut se a vitiis, quae jam usu diuturno obduruerant et concalluerant, extricaret. Ab his usque

(1) Hieron. Epist. ad Rusticum.
(2) Ierem. XIII. 23.
(3) Plutarch. in Alex. et Hieron. in Epist. ad Laetam.

eo devinctus et constrictus quasi ferreis catenis tenebatur, ut peccare ei necessitas evaserit (1). Quibus animadversis, quid tandem est, cur permittas vitia ad extremam usque aetatem ita inveterascere, ut prius animam, quam ea deponas?

VII. Quamquam, ut ante dictum, difficile admodum et operosum sit, quod penitus insitum est moribus, id subito evellere; tamen non debent te remorari et exterrere quaedam angustiae et difficultates, quae sunt perferendae, ut te ad meliorem mentem reducas. Leve ac declivum esse iter, quum ad vitia prolabimur: salebrosum arduumque, quum ea devitamus, hominem quidem nescire arbitror neminem. At numquid invia virtuti ulla est via? Numquid qui cadit, non resurget, et qui aversus est non revertetur (2)? Nimirum ut qui cadit, quodam animi ardore ac toto corpore adnititur, ut resurgat: ita qui aversus est a recta via, ubi ea cognita, in eam, adnitente Deo, ex quo uno fonte omnis nostra fortitudo manat, reverti maturat, aspera quaeque superando. Omnia dura multis condimentis patientiae sunt mitiganda, et velamento magni boni, quod brevi consequetur, obtegenda. Quot homines propter victoriam tanta flagrant dimicandi cupiditate, ut, alienatis a memoria periculi animis, in confertissimos hostes incurrant, atque vulnera excipiant fortiter et ferant? Qui corpus habet morbo gravi implicitum nonne patitur ferrum et ignem, famem sitimque, nihilque tam asperum atque tam difficile, quin cupidissime faciat, ut illud ad integram sanitatem traducat? Omitto, quae perferant ambitiosi, ut, quod est populari fama gloriosum, assequantur. Et tu, ut de vitiis triumphes, ut valeas animo, ut aeternam tibi compares gloriam, quidquid molestiarum strenue atque fidenter perpeti negabis? Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud (3). Macte virtute esto, ac fidem, quae potest omnia, adauge. Quamdiu cum affectibus colluctamur: quamdiu dominamur animo, expugnatores urbium fortitudine superamus, portenta vincimus.

---

(1) August. Conf. VIII. 5.
(2) Ierem. VIII. 4.
(3) Matth. XI. 12.

VIII. Difficultates autem, quae te possunt deterrere, quae tandem illae sunt? Ad has pene referuntur. Durum in primis et arduum tibi videtur, prava consuetudine intermissa, assuetis voluptatibus, quae suaviter sensibus tuis blandiuntur, carere, et longe diversum vitae genus, quod rationi religionique, quam profiteris, sit maxime consentaneum, instituere. Sed hoc in prima abstinentia multum habet acerbitatis: ubi insueris, mitescit. Saepe locis etiam ipsis saltuosis delectamur et asperis, in quibus longo tempore commorati sumus. Si clavus clavo truditur, et consuetudo consuetudine vincitur, illud fiet, ut, cupiditatibus fractis et restinctis, omnia, quibus incredibiliter delectaris, quorumque te numquam tenet satietas, in odium convertentur; usque eo, ut acerbum ultra non erit iis carere, quae appetere desieris. Quin etiam in vita tua nulla umquam voluptate tanta es affectus, quanta afficieris, quum senties, te non ultra in illis versari angustiis, quae a mala conscientia, quasi ab assiduis et domesticis furiis, illatae, nullam tibi partem diurnae nocturnaeque quietis impertiunt. Tunc quidem non poteris, quin Deo, a quo potissimum ista manant, gratias agas, et exclames: Me caecum, qui haec ante non viderim!

Deinde si per omnes circulos et conventus te, multis probris objectis, contumeliae maledictis in solatium laceraverint nonnulli, quibus omnis pietatis cultus ex animo effluxit, et quorum oculos vitiorum tenebrae ita praestringunt, ut pulchritudinem virtutis intueri nullo modo possint, nihil tibi de hoc magnopere laborandum. Accipienda minimeque curanda injuria est. Nihil enim familiarius huic hominum generi, quam omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere, nihil, nisi quod ipsorum moribus conveniat, rectum putare. Sed quid foedius et exitiosius, quam ob dicacitatem perditorum hominum, a quibus etiam laudari turpe, peccati servitutem servire, et, quae merita per culpam amisisti, eadem per emendationem non recuperare? Tu tamen fac cogites, quid evadis scopuli, a quo magno et difficili egrederis mare, ut laetitiae voluptate perfundaris. Quemadmodum bona valetudo magis eos delectat, qui e gravi morbo recreati sunt, quam qui numquam aegro corpore fuerunt: haud secus, ubi ex animi infirmitatibus con-

valueris, ac pernoveris, te a morte ad vitam, ab exitio ad salutem fuisse revocatum, delectatio ad animum tuum tanta cum suavitate affluet et illabetur, ut similem, qui nullo adhuc se scelere inquinarunt, haudquaquam gustaverint. Haec consolatio, prorsus incredibilis et fere divina, molestias obtrectationum, quae impudenter in tuum potissimum nomen erumpunt, absterget obruetque.

Neque, ut omittam alia, debet animus tuus, tamquam ex alta quadam spe deturbatus, concidere afflictusque jacere, si dura et intractabilis videatur aetas, si aliquanto serius resipiscas. Qui longis intervallis temporum adversa afflictantur valetudine, possunt sanari, si intemperantiae omnibus opibus repugnent, si multa inviti et facere studeant et pati. Nulli sunt tam feri et sui juris affectus, qui opera pertinaci et diligenti cura non expugnentur. Robora ipsa ex inflexis et incurvatis in recta convertuntur. Sed, si bene veritatem intuearis, hoc non tam positum est in labore, quam in quadam inductione animi atque voluntate. Quid autem difficile, quod tute tibi imperaveris? Praeterea nihil est, quod te angas animi, si sapias sero. Post malam segetem serendum est. Interdum quidquid perierat assidua infelicis agri sterilitate, unius anni restituit ubertas. Urge, et nihil remitte diligentiae et laboris, ut praeteriti jacturam temporis, errata virtutibus superando, redimas. Si aliquamdiu indormisti, expergiscere, et cursu corrige tarditatem. Dum sumus in his inclusi compagibus corporis, quasi viam calcamus, qua in coelum tendimus. Ergo a viatore tibi exemplum sume. Qui quidem si paullo tardius, quam debuerat, sit somno excitus, cursum suum, contentius ambulando, etiam citius conficit, quam si cum Sole simul evigilasset. Ad hoc, ignoras operarium evangelicum, qui, vesperascente coelo, vineam suscepit excolendam, et, quid cessatum erat, diligentia compensavit, a domino vineae eamdem mercedem, quam illis dedit, quos luce prima conduxerat, accepisse (1)?

IX. Illud tamen debes, quanto studio providere potes, providere, ut tua sponte vitae rationem immutes; nihil tergiversando in conscientiam, in qua tantae latebrae sunt, tanti

---

(1) Matth. XX. 9.

recessus , introspicias ; maleficiorum omnium , quae admisisti , in te acuas dolorem , et bono incoepto perseveres , si exposcis , ut Deus patrio animo victus , volens propitius te in gratiam suam recipiat.

Etenim quid prodest , si imperio aut minis alicujus labefactatus , vel respectu hominum impulsus, ad Deum accedas, ut conscientiam impeditam ac perditam expedias ? Malus vitae magister timor. Coacta omnia non possunt esse diuturna: celeriter , tamquam flosculi , decidunt. Enimvero , qui premente metu , ingenium immutat , tantisper cavet , dum id credit rescitum iri : ubi timor abest , rursum ad vitia prolabitur. Proinde quid juvat , quin evangelicam legem , secundum quam a Christo judicabimur (1) , ante oculos ponas, scelera, quibus te commaculasti , studio atque artificio quodam malitiae defendere aut excusare ? Hoc idem esset atque animam funditus perdere. Est quaedam iniquitas, inquit Augustinus, quam qui operatur, fieri non potest, ut misereatur ei Deus. Quaeris fortasse quaenam illa sit ? Ipsa est defensio peccatorum. Quo pacto Deus dignatur ignoscere, quod homo dedignatur agnoscere (2) ? Demum quae utilitas , si provolutis genibus et capite demisso delicta confitearis , pectus tundas , et dicas te malle emori millies , quam iterum peccare , si nullam vim poenitendi afferant errata anteactae aetatis ; si nihil sollicitus de vita Christi , ad quam te debes totum fingere atque conformare , ut expedita quadam et quasi compendiaria via ad veram virtutem pervenias , te in eamdem vitam, paucis aut nullis diebus interjectis, denuo revolvas , more bestiarum , quae , fame stimulante , ad id locorum, ubi pastae aliquando sint, raptim avideque revertuntur? Quid esset hoc , nisi aratri semel arrepti stipam dimittere, et iterum post tergum respicere (3) ? Quid nisi similem esse homini aestu febrique jactato , qui postquam aegrum corpus vivo

(1) Joan. Evang. XII. 48.
(2) August. in Psal. LVIII. et Hom. L.
(3) Luc. IX. 62.

flumine abluit, primo relevari videtur, dein gravius aegrotescit? Scite, ut omnia, Chrysostomus: Detestare, inquit, peccata, si officia poenitentis invadis. Si peccare delectat, quare sic poenitentiam, quam profiteris, infamas? Contumeliae crimen est quod oderis, facere; quod damnaveris velle. Amare probatur, qui, quod odit, exercet. Et alio loco: Illa est fructuosa accusatio, si subsecuta sit correctio. Quotidie se accusare, et non corrigere, Deum tentare est (1).

Verum, ut in proposito corroboreris, remque benecoeptam usque ad ultimum vitae diem perseveranter tuearis, inter te et occasiones, quae ad prava illexere aut impulerunt, munitissimus murus intersit. Qui deponere vult desideria rerum omnium, quarum amore flagravit, has oculis fugiat, auribus respuat, animo aspernetur, recordatione denique perhorrescat. Si in sapientis animo vulnus jam cicatrice obductum, quum refricatur leviter, recrudescit; tu putas mala tua, occasione oblata, reviviscere non posse? Excinditur arbor, non eradicatur: timendum, ne fruticetur. Quapropter ab insidiosis voluptatum illecebris, a quibus improvide fuisti deceptus, cautus pavidusque declina. Hae sunt illae syrtes, quibus incerto cursu navigantes absorbentur: haec illa saxa, quibus salutis cum aperto discrimine impingitur. Nec vero poetas, quum et haec et hujus generis alia cecinerunt, simpliciter loquutos existimes. Utuntur similitudine rerum, quae subjectae sensibus sunt, ut animos erudiant, moribusque hominum consulant. Itaque sapientem appellarunt eum, qui maris pericula, voragines et scopulos, et dubiis agitata ventis loca vitasset, atque illa Sirenarum avida monstra, virginum facie simulata, praedulcique cantu blandientia, contempsisset. Quae sunt omnes, mihi crede, imagines humanae vitae, qua nullum est mare difficilius, et in qua, nisi trepidi navigemus, nisi ratione et Christi lege, quasi gubernaculis, regamur, quam facile vitae naufragia contingent. Quo autem tutius in nova vivendi ratione possis perstare, te a multitudine, nisi aliud aut officium, aut

(1) Chrys. Sermo de Moyse. Idem Hom. in Psal. LXXXIV. Super verb: *Numquid in aeternum irasceris nobis?*

necessitudo, aut beneficientia suadeant, secerne. Comites tibi tantum adscisce, a quibus melior discedas: tecum admitte qui abs te discedant meliores. Si hoc minus, solitudinis munere delectare. Ecquid in celebritate sanctum atque sincerum? Ecquis, quum in afflicta perditaque fortuna misericordiam ejus imploras, te aut consolando, aut consilio, aut re juvet? Imo ut verius dicam, in tanta morum pravitate et foeditate, tamque effusa audaciuni licentia, quae tam detestabilis et perniciosa pestis est, quae non homini ab homine promanat? Exempla ne quaeras: passim enim prostant.

X. Est istuc quidem aliquid; sed nequaquam in isto sunt omnia. Nam tibi, quantum potes et vales, adnitendum est, ut non vitam modo in melius emendes, et constanter vivas, quantum humana natura patiatur, satis extra culpam; sed bonorum operum exempla edendo, alienae inopiae, qua re cumque potes, opitulando, his atque talibus aliis errata anteactae vitae resarcias. Virtute culpa corrigitur, et memoria flagitii egregiis factis aboletur. In primis corpus, quod fuit instrumentum animae tuae, quum peccasti; et interdum ipsa peccandi materies, castiga. Homo, ut cuique spectatissimum, nihil est aliud, quam corporis animique concretio. Si in hac vita partes, ex quibus constat, sunt ita quodam uno vinculo copulatae, ut numquam boni malique merito separentur: si die illo, quo cognoscetur Deus judicia faciens, et justitias judicabit (1), afficientur praemiis aeternis, aut aeternis suppliciis mactabuntur; non debes, quoties te sceleribus implicasti, ad animi tristitiam corporis afflictationem adjungere? Si nulla in te haereret culpa, nihil obstaret, quo minus eo, quod maxime placeret, honestate ac lege non adversante, utereris. Nam quis vel eum jure reprehenderit, qui in ea voluptate velit esse, quae honestati ac legi minime repugnat, vel illum, qui dolorem eum fugiat, ex quo nihil voluptatis et commodi consequitur, si ad has appetitiones et depulsiones, ipsa hortante natura, homines rapiantur? At, quoties te culpis contaminasti, danda omnino

(1) Psal. IX. 17, et LXXIV. 8.

opera est, ut haec, quae sunt in animo quasi igniculi et semina, vehementer comprimas, acerrimeque, tamquam armato hosti, naturae obsistas, ut, deliciis omnibus repudiatis, quasdam corporis asperitates excipias, et eo modo, emenso vitae spatio, supplicia fugias in flammis illis piacularibus multo graviora, et voluptates summas, et eas sempiternas in coelo perfruaris. Quamobrem neque prius, neque antiquius quidquam habeas, quam vitam agere expertem deliciarum, ab omni luxu elegantiaque alienam, atque ab illa remotam nimia omnium rerum affluentia, quae, quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effoeminat, et probitatem caeterasque bonas artes subvertit. In longa felicitate, et magna fortunae indulgentia perraro aliquem invenias, qui se ipsum ita contineat, ut vitia, quae plerumque facultatibus licentiaque et assentationibus aluntur, coerceat, eosque, qui illa redarguunt, facile patiatur. Adeo vix sapientia ac suavitas vitae, dissimillima natura, societate quadam inter se naturali agglutinantur!

Fortasse hic dices: Sum civitatis princeps, in amplissima familia natus, in potestate constitutus. Quid ergo? Numquid ab hoc aliquem, sive summum sive infimum, Deus eximit? Quin imo tibi in hac conditione locato, quanto plus licet, tanto minus cupiendum est. Si secus agis, non vides quantum tibi aliisque afferas detrimenti? Nihil est perniciosius civitatibus, quam si primores populi, et illi praesertim, qui se divino ministerio addixerunt, et voto perfectioris vitae obligarunt, deliciis praesentibus studeant, quia non solum obsunt, quod ipsi corrumpuntur, et patrimonia splendidissima per luxuriam evertunt; sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo, quam peccato nocent. Equidem quum ad vitam suaviter ducendam mortales sint proniores, fieri non potest, quin in tanta multitudine cupidorum hominum, qui inferioris ordinis sunt, quamplurimi per fas nefasque illius generis vitae, quod qualescumque summi civitatis viri sequantur, imitatores existant. Quid putas compulisse homines deorum cultores ad quaevis facinora cum audacia et sine conscientiae vulnere perpetranda? Ipsorum deorum iniquitas. Unde Chaerea apud Comicum: Fecit Juppiter, qui templa coeli summa sonitu concutit. Ego homuncio non

facerem? Ego vero illud feci ac libens (1). Caeterum discipulus crucis, quisquis ille sit, non debet profusis sumptibus vivere, magnifice splendideque convivium ornare, domum patentem cupiditati petulantiaeque habere. Difficile, imo impossibile est, si credimus Hieronymo, ut et praesentibus quis et futuris fruatur bonis, ut et hic ventrem, et ibi mentem impleat, ut de deliciis transeat ad delicias (2).

Ne hoc in negotio periculosae aleae pleno decipiaris, in vitam Magdalenae, tamquam in speculum, inspicias oportet, atque ex ea tibi sumas exemplum. Etiamsi haec, quanto pulchrior, tanto foedior, quippe quae in turpitudinis coeno volutata, ab ipso Christo audiverat sibi omnia esse peccata dimissa (3): tamen quot habuit in se oblectamenta, tot in se invenit holocausta: convertit ad numerum virtutum numerum criminum, ut totum serviret Deo in poenitentia, quid ex se Deum contempserat ex culpa (4). Quid si Christus ipse, ut non sua, sed aliena crimina dilueret, ut spectatum satis et magnum nobis documentum daret, praesepii se obvolvit angustiis, vitam in paupertate, in vigiliis, in jejuniis transegit, et deinde injuriis contumeliisque vexatus, acerbitates immanes et dolores corporis acutissimos sustinuit? At quorsum, dices, haec disputas? Quorsum? Ut in memoriam redigatur, ut in mente posita atque infixa sit illa cantilena, quam Christus unicuique in aures insusurrat: Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis (5). Sed quamquam hoc loco patet campus, in quo possit exsultare oratio; tamen mihi ad extrema properanti supervacaneam operam suscipere videtur, si ea, de quibus volumina impleta sunt, velim singulatim requirere.

XI. Illud tamen non praetereundum puto, vitae emendationem, conditionibus, quas supra memoravi, insignitam, ante

(1) Terent. Eunuch. Act. III. Sc. V.
(2) Hieron. Epist. ad Iulianum.
(3) Luc. VII. 18.
(4) Greg. Hom. XXXIII.
(5) Luc. XIII. 3.

esse efficiendam, quam ultimus dies impendeat, nisi velis animae tuae periculum facere. Nativitas et mors sunt termini, quos inter vita hominis collocatur. Quemadmodum qui iter ingressus est, et aliquantisper a recto tramite pedem reflexit, si, abjecta omni cunctatione, redeat in viam, cursum conficit: qui autem, dum lucescit, huc et illuc inconsiderate pervagando, se a recta semita abduxit, et errationem suam ad terminum usque protraxit, difficiliter, tenebris obortis, regredi potest, et illuc, quo contenderat, pervenire: ita qui peccavit, et paullo mox consilium vertit ad meliora, potest errata magnis emendare virtutibus: sed qui usque ad vitae terminum exulceratus vitiis, a quibus nullum aetatis suae tempus abhorruit, vult se ad salutis tramitem reducere, non illum dies deficiet, ut rectam vivendi rationem suscipiat ac profiteatur? Mirifice Christus: Oportet operari opera, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari. (1) Et quidem in tam proxima dissolutione corporis, in tanta illa turbatione animi, tamque subita avulsione a rebus, quarum amore in vita deperisti, facile putas id futurum, ut in scrutatione exactae vitae, et in maleficiorum detestatione ita consistas mente, ut Deum ad misericordiam allicias? Quid si repentino interitu spiritum reddas? Quid si lethargico torpore, quasi ab aspide percussus (2), corripiaris, et citra sensum tui naturae concedas? Egregie Hieronymus: Vix de centum millibus, quorum mala fuit semper vita, meretur a Deo indulgentiam unus (3).

Re quidem ipsa, si severe religioseque velis judicare, nihil inconsultius invenias, quam vitam corrigere, quando mors vicina debitum flagitabit. Prudens homo, quum rerum affluit

---

(1) Joan. Evang. IX. 4.

(2) Vulnus ab aspide inflictum lethiferum soporem inducit, atque ita, ut moribundi sensus amittant. Lippis notum et tonsoribus est, Cleopatram, ne mortis terrore concuteretur, morsu aspidis necem sibi adscivisse. Unde Lucanus in libro nono de bello Pharsalico cecinit:

Aspida somniferam tumida cervice levavit.

(3) Tom. ultim. Eusebii, epist. ad Damasum.

abundantia, debet esse memor egestatis, atque, dum integrum est, sibi providere, ne, elapso ubertatis tempore, a penuria affligetur. Exemplo est formica, quae haud ignara et futuri non incauta trahit ore quidquid potest, et quod comedat hyeme, studiose congregat aestate. Cujus solertiam ad imitandum nobis proposuit regum sapientissimus, his usus verbis: Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam (1). Et sane dum aetatem degimus, misericordiae divinae abundamus largitate; ita ut nullius desperanda sit reparatio, ubi correctio accesserit (2). Sed, vitae tempore dilapso, misericordiae aditus intercluditur, neque patet, nisi justitiae. Dubiumne id tibi? Crede Deo: Despexistis, ait, omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis: ego in interitu vestro ridebo et subsannabo (3). Quid ridere Dei est, nisi humanae nolle afflictionis misereri, nulla pietate compati (4)? Tunc quidem ille, qui sustinuit vasa irae in interitu, (5) sicut fortis egredietur, sicut vir praeliator suscitabit zelum; vociferabitur et clamabit: Tacui semper, patiens fui: sicut parturiens loquar: dissipabo et absorbebo simul (6).

Quibus ex rebus universis, quae dixi hausta e fonte naturae, et auctoritate sapientium roborata, pronum est colligere, nunc, dum tempus sinit, vitam esse tibi emendandam, si vis te a formidinum terrore vindicare, quum supremus ille dies adventarit. Atque hic jam sentio me ad meditandum pauca de morte esse provectum.

XII. Nemo est hominum tam rerum ignarus, qui nesciat, nos eo natos esse, ut denique moriamur. Sed si olim etiam justi mortis metu nutabant, postea Christus, qui mali remedium in ipso malo, et, ut ita dicam, vitam in ipsa morte posuit, hanc eis adeo dulcem et optatam effecit, ut extre-

---

(1) Prov. VI. 6.
(2) Leo Papa Serm. IV de Epiph.
(3) Prov. I. 25, 26.
(4) Greg. Moral. IX. 20.
(5) Rom. IX. 22.
(6) Isai. XLII, 13, 14.

mum illum diem appetant, faustumque censeant. Haud dubium est, quin homo suapte natura sui dissolutionem valde exhorrescat. Nativitatem voluit Deus esse gravem ac periculosam matri, quo carius haberet quod peperisset: ingentem autem terrorem mortis in omnes immisit, ne passim sibi manus afferrent. Si nunc intervenit, ut plerique, veluti repentino icti furore, sibimet ipsi mortem consciscant: quid putas futurum, si mors nihil, quod esset horrendum, objiceret? Quotiescumque iracunde rabioseque a cerebrosa uxore haberetur maritus, aut quis aere alieno gravatus foeneratoris acerrimi premeretur crudelitate: quotiescumque aliquis in luctum et laborem magnum detrusus, aut fortunae gravissimo vulnere percussus, in maximas angustias redigeretur, omnes in laqueum, in gladium, in venenum, in praecipitium ruerent, nisi mortis acerbitas vitam eis redderet cariorem. Sed quamquam nihil carius vita, et nemo, quod amat, contemnit; tamen justi, qui, omnibus sarcinis humanarum rerum abjectis, semper ad illa coelestia suspiciunt, et beatam aeternamque vitam optant unam, et unam esse summa ope expetendam arbitrantur; non, sicut caeteri, quos nulla melioris vitae spes accendit, metu percelluntur, aut se conficiunt moerere, quum tributum pendent mortalitatis; sed potius laetantur, quod vitam morte finiendam relinquant, ut vitam accipiant morti numquam subjiciendam. In eis amor vitae amore vincitur vitae, et illius quidem vitae, quae est sola vita numeranda. At, si animum intenderis, alias invenias caussas, quamobrem justi, quum sit e vita discedendum, tacita voluptate permulceantur.

XIII. Et primum vita nostra mercatura est: unusquisque enim talentum a Deo recepit, ut illud negotiaretur. (1) Mercatoribus, qui, quaestus caussa, nullis periculis deterriti, nullis insomniis laboribusque defatigati, mare per omne cucurrerunt, et hac mente domum multa praemiserunt bona, ut in otia tuta recedant aliquando, nihil exoptatius, quam ad id loci

(1) Matth. XXV. 14 et seqq.

navigare, in quod unum omnia sua congessere. Quid autem evenire putas justis, qui, ut vitae integritatem servarent, ut magnam meritis suis facerent accessionem, perniciosas voluptatum illecebras proculcantes, duritiamque et alia, quae caeteri miserias vocant, in deliciis habentes, hujus vitae tempus sudando, algendo, laborando, languendo contriverunt, et facultates suas in loco verae vitae, ubi nequeunt coeli intemperie corrumpi, furto eripi, incendio absumi, naufragio absorberi, temporum perturbatione, aut belli saevientis impetu vastari, collocarunt?

Deinde vita nostra carcer est. Haec, quae videmus ossa circumvoluta nervis, et obductam cutem, et ministras manus, caeteraque, quibus compacti sumus, sunt vincula animorum. Obruitur his animus, inficitur in falsa demersus. At quemadmodum, qui ferro vincti multos annos fuere, tunc se demum vivere arbitrantur, quum ex carcere tenebroso emissi feruntur, ob eamque rem gaudio exsultant: ita justi, quum tempus moriendi urget, tamquam educantur custodia, vinculisque corporis leventur, jucundo quodam voluptatis metu afficiuntur, hoc ipso quod ex hac rerum humanarum tetra caligine, et servitute exempti, illuc nitantur, ubi in ipso lucis fonte omnia pura et lucida cernent, (1) et in perpetuam libertatem vindicabuntur.

Postremo, ne singula persequar, vita nostra supplicium est. Homo, simul ut e latebris materni uteri egreditur, a miseria ducit exordium. Nascitur enim nudo corpore, imbecillus, inermis, alienae opis indigens, et in omnem fortunae contumeliam projectus. Tametsi postquam natus, vitamque ipsam aerumnis vexatam expertus est, invitus ab ea discedit; tamen si priusquam in lu-

---

(1) Hoc quoque intellexit quidam Calanus Indus, qui, ut refert Tullius in primo de Divinatione libro, ad mortem sua voluntate proficiscens, quum ascenderet in rogum ardentem: *O praeclarum discessum, inquit, e vita, quum, mortali corpore cremato, in lucem animus excesserit!* Sed hoc sibi gentilitatis tenebris obvoluto male ominatus est. Ad lucem illam, nisi, qui Deum cognovit, et, quem misit, Jesum Christum, nullus accedet.

cem ederetur, quae mala esset in vita perpessurus, praesciret, nasci numquam vellet, ne condolesceret et ingemisceret, quod veluti extorris patria, in aliena regione, in civitate non permanente debeat peregrinari, ut multa gravia ac periculosa patiatur. Nam, recte intelligentium judicio, quid est diu vivere, nisi malos dies malis diebus addere, nisi diu torqueri, diu mori? Quid, quum mundus totus in maligno positus sit, nisi in abstrusis insidiis et absconditis periculis undique versari? Scitum est illud Augustini: In medio laqueorum sumus: hinc laquei et hinc laquei: laquei a dextris, laquei a sinistris: laquei a dextris prosperitas saeculi, laquei a sinistris adversitas saeculi: laquei a dextris promissiones, laquei a sinistris terrores (1). Quocirca justi, qui, quamdiu inter mortales agunt, vesanientibus malorum fluctibus ita agitantur, ut vix tentationum possint evadere procellas, morientes quadam iucunditate perfunduntur, quod plenissimis velis in tranquillum portum cursum teneant, et suprema patria, qua procul fugiunt cupiditates, timor, labor, dolor, sollicitudo, exanimatio, haec atque talia, quae vitam miserrimam efficiunt et amarissimam, potiantur.

Hoc ego loco non possum temperare mihi, quin M. Tullii verba, quae in ore Catonis posita, nescio quid coeleste et divinum spirare videntur, adscribam: Si quis, inquit, Deus mihi largiatur, ut ex hac vita repuerascam, et in cunis vagiam, valde recusem. Nec vero malim, quasi decurso spasio, ad carcerem a calce revocari. Quid autem habet vita commodi, quid non potius laboris? Sed habeat sane: habet certe satietatem aut modum. Non lubet mihi deplorare vitam, quod multi, et hi docti, saepe fecerunt. Neque me vixisse poenitet: quoniam ita vixi, ut non frustra me natum existimem; et ex vita ita discedo, tamquam ex hospitio, non tamquam ex domo: commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi dedit. O praeclarum diem, quum ad illud divinum

(1) August. in Psal. CXLI.

animorum concilium coetumque proficiscar, quumque ex hac turba et colluvione discedam. (1) Hactenus Cato. Quid ab ho-

---

(1) Cic. de Senect. XXIII. Pauci atque admodum pauci inter christianos sic vitam moderantur, ut possint dicere cum Catone, se ita vixisse, ut frustra non esse natos arbitrentur. Multi enim sibi persuadent non frustra vixisse, si divitias, quoquo modo exaggeratas, morientes ingrato, immemori, et forsitan ignoto haeredi relinquant. At ille senex, qui, teste Vellejo, virtuti simillimus numquam recte fecit, ut facere videretur, sed quia aliter facere non poterat, ideo censet se frustra natum non esse, quod integrum et sanctum civem praestiterit reipubblicae, quod incorruptum magistratum, quod posteritati quoque justitiae et industriae suae monumenta transmiserit.

Deinde quid illo dici poluit sanctius: *Discedo tamquam ex hospitio, non tamquam ex domo?* Hic oratio Catonis pulchre congruere videtur cum verbis Paulli, qui scribens ad Corinthios, coelestem mansionem, quam post e vita discessum expectamus, domum sive domicilium vocat. Hoc autem corpusculum tabernaculum appellat, dum ait: *Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati.* Nec discrepat a sermone Petri, qui: *justum,* inquit, *arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione, certus quod velox est depositio tabernaculi mei.* Neque minus verum est, quod apud Platonem loquitur Socrates, animum humanum in hoc corpore, velut in praesidio, positum esse, unde non fas sit discedere injussu imperatoris, nec diutius in eo commorari, quam visum sit ei, qui collocavit. Quod sacris litteris, quae vitam hominis modo militiam, modo certamen vocant, minime adversatur. Siquidem animus, qui acriter pugnat et excubat adversus insidias adversarii, qui circuit, ut leo, querens quem devoret, in praesidio versatur, donec, bono certamine certato, consummato cursu, fide servata, justitiae coronam a Deo recipiat. At si Deus nobis usuram dedit vitae quasi in diversorio aut tabernaculo aut praesidio, ubi ad tempus, non in perpetuum est immorandum, quid superest, nisi, ut sic vivamus ac vigilemus, tamquam illico morituri: sic honestis rebus operam demus, tamquam semper victuri?

Denique ubi dicitur a Catone: *O praeclarum illum diem, quum ad illud divinum animorum concilium proficiscar*, non videmur ipsum Paullum audire loquentem: *Cupio dissolvi et esse cum Christo?* Sed quamquam doctissimorum virorum, ut magna admiratio, ita censura difficilis; tamen illius senis fiduciam aliquis arguere potest, ut ab arrogantia quadam profectam, quam multum oportet abesse ab homine christiano, qui, licet nihil eum remordeat; tamen utrum amore, an odio dignus sit, nihil satis habet exploratum. In eum potius quadrat, quod Socrates, poculo illo nondum epoto, dixit Critoni: *An opera nostra sit probaturus Deus, nescio: certe conati sumus, ut illi placeremus: est mihi tamen bona spes, illum conatus nostros*

mine christiano dici potuit sanctius? Quid balbutient contra haec quidam grandiloqui, qui nihil in animo versantes, philosophiam virtutis et bene vivendi disciplinam potissimum continere, eosque, qui eam profitentur, gravissimam sustinere personam, sibi pulcherrimum philosophi nomen inscribunt, dum nullum bonum norunt, praeter illud, quod cibo, potione et foedis gaudiis capitur? Qui auctoritate Dei et sapientium sententiis nihil moti, contendunt, homines, sicuti pecora, excessu vitae deleri ac funditus interire? Sed hos, quos Deus ducit caecos in viam, quam nesciunt, et in semitis, quas ignorant, ambulare eos facit, et ponit tenebras eorum eis in lurem, et prava in recta, (1) dimittamus, quasi eorum nos pudeat, ac persequamur caetera.

XIV. At id quidem non dubium est, quin fere omnes mortem, ut tetram et immanem belluam, expavescant, ejusque cogitationem incredibilem in modum oderint et execrentur. Verum si reputarent animis suis, hoc malum, quod unum ducitur maximum, esse tum non vitandum, tum commune, et praemeditatione minus effici formidolosum, hac triplici consolatione, quum extremum vitae diem morte conficiunt, ita alleviarentur, ut eos non attingeret aegritudo, aut perleviter pungeret animi dolor.

Omnium primum quis est aut quotus quisque, qui vivit, et non videbit mortem? Verum est Euripideum carmen illud:

Reddenda est terrae terra: tum vita omnibus
Metenda, ut fruges: sic jubet necessitas. (2)

Itaque si mors est debitum naturae necessarium, quae intolerabilis superbia, et inconsiderata temeritas est, quod ae-

---

esse benigne excepturum. Vir ille sic diffidebat factis suis, ut tamen ob propensionem, quam habebat, obtemperandi voluntati divinae speraret fore, ut Deus, quae sua benignitas est, boni consuleret, quod bene vivere studuisset. Mirandum quidem hoc in eo, qui neque sacras litteras, neque Christum noverat. Felices, qui vera solidaque virtute muniti, qui sincera fide bene animati tali animo mortem expectant!

(1) Isai. XLII. 6.
(2) Apud Cic. Tuscul. III. 25.

terna lege Deus constituit, id abrogare velle, et corpus ad conditionem naturae non redigere? Animum incorruptum, aeternum: corpus fragile, caducum accepimus. Quid autem in operibus manu factis tam compositum, tamque compactum et coagmentatum inveniri potest, quod non dissolvat et evertat dies? Septem illa miracula terrae, quae ad memoriam omnium gentium erexit ambitio, expugnavit minutatim vetustas, adeo ut aetate nostra jaceant situ obsita atque squalore, quin unus aut alter eorum magnificentiam noscat ac revereatur. Tot oppida, quondam opibus ac magnitudine imperii potentissima, nunc solo complanata, vepribus et dumetis undique convestita, silvescunt, pecore cultoribusque frequentantur. Totus hic mundus, ut vel quibusdam antiquis philosophis persuasum erat (1), flamma aliquando deflagrabit, et in confusionem veterem tenebrasque rediet. Et tu homunculus, qui mortalis natus conditiones postulas immortalium, tamquam necesse sit hominem natum immortalitate donari, tantopere commoveris, et totus tremis horresque, si tibi sit moriendum? Traditum est Xersem, regem illum potentissimum, qui subvertit montes, maria constravit, quum ex editioribus locis suas copias, maximas post hominum memoriam, oculis perlustraret, vim lacrimarum hanc ob caussam profudisse, quod post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, esset superfuturus (2). Sed quid hoc ploratu infantius, quid imperatoria virtute indignius? Si ea lege sunt homines generati, ut nemo sempiternus esse possit; si mortis tributum est omnibus reddendum, nec illius sperare potest quispiam immunitatem, nec petere, frustra excruciari luctuque confici, extremae stultitiae videtur. Malum, quod non potest mutari, non culpandum, sed aequo animo ferendum, ut lenius fiat. Quis sapiens cum necessitate pugnabit? Quapropter consilium est voluntati Dei, qui omnia sanctissime et providentissime constituit, non minus libenter, quam necessario attemperare, eique offerre, uti munus, quod, uti debitum, est persolvendum.

---

(1) Cic. Acad. Quaest. IV. 37.
(2) Hieron. Epist. ad Heliodorum de obitu Nepotiani.

Proinde nihil est praecipue cuique dolendum in eo, quod accidat universis. Quod enim necesse est omnibus evenire, id haud miserum esse uni potest. Perpessio caeterorum nescio quo pacto efficit, ut ea, quae acciderint, nequaquam esse graviora videantur, quam quanta vulgo ducuntur. Adversus mortis duritiam hoc solatio erigimur, quod istiusmodi malum ante nos passi sunt omnes, omnesque passuri sive reges potentissimi, sive inopes coloni; et ideo videtur rerum natura, quod gravissimum fecit, commune fecisse, ut crudelitatem fati consolaretur aequalitas. At si pars aequitátis est aequalitas, et in ea conditione versaris, in qua omnes, quid est, quod de hac universa constitutione graviter queraris? Cur potius non putes id tibi haud moleste ferendum, quod videas multos animo moderato tulisse?

Postremo, ne mors, quum intervenerit, te laceret imparatum, feriatque vehementius, ejus adhibe praemeditationem. Sapiens semper animo sic excubat, ut ei nihil improvisum, nihil omnino novum accidat: assuescit futuris malis, et quae alii diu patiendo levia faciunt,, hic levia facit diu cogitando. Contra nemo celerius opprimitur, quam qui nihil providet, nihil timet, et saepe est initium calamitatis securitas. Qui, dnm res sunt secundae, secum non meditatur quo pacto patiatur aerumnas, huic omnia, quibus nomen imponi solet calamitatis, repentina et nec opinata majora videntur, idque duabus de caussis: una, quod spatium non ei datur, ut ea qualia et quanta sint, consideret: altera, quia, quum poterat praecavere, malum quasi culpa contractum aegritudinem reddit acriorem. Si multum igitur prodest provisio et praeparatio ad infortunia lenienda, dum tranquilla et pacata sunt omnia, est tibi mors praemeditanda, ut eam respiciens longe venientem, terrores molestiasque, quum impendeat, extenues aut diluas. Miles media pace, pariter ac si hostis infensus adsit, buccinarum cantu exsuscitatur, sursum deorsum quasi vitabundus aut feriens cursitat, vallum ascendit, fossas transilit, fluvios tranat, haec atque alia militaria facit supervacuo labore fatigatus. Ex quo certaminis simulacro evenit, ut in ipsa securitate animum ad difficilia praeparet, et, militia per usum percepta, quum inferendi belli necessitas incu-

buerit, adventu expectati hostis non perturbetur aut animo concidat, sed ejus impetum fortiter acriterque sustineat ac propulset. Quapropter praeclare Hebraeus ille sapiens: In die bona, inquit, fuere bonis, et malam diem praecave: sicut enim hanc sic et illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum justas querimonias (1).

XV. Gentiles ipsi, quorum sapientiores censebant totam philosophorum vitam commendationem esse mortis (2), diu multumque cogitantes de hac communi hominum conditione, intelligebant, mortem haudquaquam, more multitudinis imperitae, quae variis imbuta erroribus de rebus cunctis ex perversitate opinionum, quam ex vero judicat, esse pertimescendam. Conscientia bene actae vitae, multorumque benefactorum recordatio efficiebat, ut non animo frangerentur, nec dolendum quidem putarent, quum vel ipsi, vel carissimi quique morbo aut aetate confecti extinguebantur, aut pro salute civium capita devovebant. Ex eis multos possim nominatim proferre. Sed quonam modo in hoc transcursu tam arctati voluminis singulos percenseam numerando? Quam paucissimos ex annalium vetustate expromam.

Socrates, cujus virtutibus quasi quibusdam stellis graecae micant historiae, quum fuisset rei capitalis damnatus, et dies triginta in carcere et in expectatione mortis exegisset, nec judicibus caussam suam dijudicaturis supplex fuit, nec patronum, qui pro se diceret, quaesivit. Nihil perterrefactus liberam contumaciam, a magnitudine animi ductam, non a superbia, adhibuit. Quum posset educi e custodia, noluit. Extremo vitae die jam in eo erat, ut lethiferum illum biberet scyphum, quum ita obfirmata perstitit virtute, et multa de immortalitate animorum disseruit, ut non ad mortem trudi, sed in coelum videretur ascendere (3). Quid majus aut melius a Deo datum homini, quam sui cuique liberi? Si ingenio et virtute maxime excellunt, non potest dici satis, ne cogitari quidem, quid ca-

---

(1) Eccl. VII. 15.
(2) Plato in Phoedone. Cic. Tusul. I. 30.
(3) Laert. Vit. Phil. II. Cic. Tuscul. I. 29.

ritatis, quid voluptatis habent. At quid horum filiorum jactura acerbius, quid luctuosius, quid. quod minus humanitas ferre possit? Omnia misera, sed hoc nihil miserius. Neque eo secius Pericles (qui vir et quantus!) infra quatriduum filiis egregia indole, et ad optima quaeque natis orbatus, his ipsis diebus propalam concionabundus eumdem habitum in vultu, eamdem in oratione dignitatem, idem in senatu retinuit decus; ita ut, ne quid ex veteri ritu propter domesticum vulnus praetermitteret, caput solito more decoratum habere sustinuerit (1). Sed quid ego viros? Foeminam commemorabo. Quaedam Lacaena, ubi filium in acie depugnantem concidisse audivit: Idcirco, inquit, genueram, ut esset, qui pro patria mortem non dubitaret occumbere (2). Tantum meditatio et consuetudo valet!

XVI. Sed etiamsi mortis praemeditationem praecipiat Deus habendam, quum furis in morem, id est repente, vel quum nemo sperat, promittit se venturum, ut adimat homini vitam (3): tamen nimis multi ad inertiam et voluptatem corporis possumdati, vel inexhausto divitiarum amore caecati, aut ambitione numquam expleti, finem suum perpetua obruunt obblivione, et quidem ita, ut cuique eorum haud immerito possis objectare, quod de Hierosolyma queribunda voce cecinit Ieremias: Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui (4). Ex quo accidit, ut, discessu extremo impendente, quum eorum animus expergiscitur, tanto a mundi blanditiis violentius divellantur, quanto tenacius illis inhaeserunt, et a conscientia scelerum, quibus se dedecoravere, exterriti et quasi a quodam jaculo sauciati, tota mente et artibus contremiscant.

Non desunt etiam, qui, animi quadam mollitie impulsi, in parentis, in filii, in uxoris interitu, aut cujuscumque sibi carissimi, aerumnae impetus non facile frangant, aut comprimant. Quin imo usque adeo dolore contabescunt, ut nulla il-

---

(1) Hieron. Epist. ad Heliodorum.
(2) Cic. Tuscul. I. 42.
(3) Apocal. XVI. 5. et I. Tessal. 5.
(4) Jerem. Thren. I. 9.

illum consolatione permulceant. Quid si interdum eo vecordiae perducuntur, ut maledictis providentiam figant, ad lacerationes genarum, ad pectoris capitisque percussiones, ad capilli evulsiones recurrant? Sed quid valet in amissione suorum quam gravissime moerere, quam effusissime collacrimare, si non longo intervallo post, fletu represso, eorum memoria ex animo, sicut corpus ex oculis eripitur? Aves et ferae, etsi tanto amore incitentur erga partus suos, ut pro eis propugnent, nullos impetus, nullos ictus formident; tamen, amissorum morte vix complorata, totam caritatem illam penitus extinguunt. Prudentem virum decet a lacrimis temperare; mortuorum, quos optimos et probatissimos coluit, dilexit, grate pieque memoriam repetere; quae voluerit, meminisse, quae mandaverit, exequi; imagines, quae illos referant, contemplari, ut rebus preclare gestis, quibus seque remque publicam celebravere, consideratis, animum ad egregia facinora accendat, neque prius hanc flammam sedet, quam virtus famam eorum et gloriam exaequaverit.

XVII. Fortasse hic dices: Quis tantam sibi adscivit sapientiam, ut, quum sibi finem vitae adesse intelligat, vel quum aliquis propinquus, aut secum benevolentia et usu conjunctus morte eripiatur, hoc naturae inimicum, durum, perpessu asperum non arbitretur, et dolere intermittat? Quae virtus est, quae non sentias, perpeti? Gentem sic immanitate efferatam, ut in ejusmodi infortuniis nulla edat sigua doloris, nusquam esse illam puto.

Recte tu quidem, et ego prorsus assentior. Nam natura hoc ita comparatum est, ut adversis contristemur, nec sapiens, non aliter ac si esset e saxo sculptus, aut e robore dolatus, vel communem sensum repudiasset, ex hominum numero est educendus. Nisi veluti morsus doloris in calamitate ei relinqueretur, haec animi durities, sicut corporis, quod, quum uritur, non sentit, stupor potius, quam virtus, esset putanda. Perturbatas enim commotiones, quoad vivimus, temperare et regere possumus; stirpitus evellere et extrahere non possumus. Hinc M. Aurelius, priusquam ad principatum accederet, quum educatoris sui mortem, prosequeretur lacrimis, quibus insignem in eum benevolentiam declarabat: Permittite illi, inquit Antoninus Pius, ut homo sit: neque enim philosophia vel impe-

rium tollit affectus (1). At in quocumque calamitatis ictu, et in ipsa morte omnia ad rationem revocanda sunt, et cogitandum quid patientia, quid fortitudine, quid magnitudine animi dignum sit. Difficile est dolorem vultu tegere, eumque taciturnitate celare. Hoc tamen sic habeto, vix ferendum in viro abjecte ignaveque et nulla intermissione queri. Quid esset hoc, nisi mulierculàrum lamentationes et ejulatus imitari? Verum si earum lessus, quem olim duodecim tabulae in funeribus adhiberi vetuerunt (2), est quadam excusatione dignandus, quippe quum foeminis, propter imbecillitatem corporis et infirmitatem consilii, majorem licentiam in infortuniis, sicut reliquis in rebus, facile conceditur: quid eo turpius aut detestabilius viro, cui nomen a virtute inditum, ideoque illius propria maxime est fortitudo?

XVIII. Cæterum et facere et pati fortia christianum est. Christi philosophiam quum quis bene animo imbiberit, nihil, nisi, quod indecorum, inhonestum, pravum, flagitiosum, judicat intolerandum aut extimescendum. Super omnem casum, quem fortuna invexerit, collocatus, quodcumque adversi possit homini incidere, infra se positum ducit, boni consulit, in bonum vertit, et incredibili quodam animi robore septus, mortem ipsam, tamquam a Deo denuntiatam, sine repugnantia, sine trepidatione amplexatur. Quid hic senes debiles, virgines imbelles, pueros delicatos commemorem? Hi quidem pedem supra petram, id est supra Christi doctrinam, statuentes, non modo patienti et libenti animo vincula, carceres, famem, sitim, gladios, ferarum laniatus, et caetera ubicumque horrenda pertulere; verum etiam, objecta eis morte, tantum abfuit, ut tremerent et exalbescerent, ut eam venientem laetabundi viderint et exceperint. Quid magis humanitatem horrore perstringit, quam natos dulcissimos, vulneribus transfossos, sanguine cruentatos, lentaque morte absumptos propriis oculis inspectare? Id, matribus praesertim, est maximum et miserrimum omnium miseriarum. Neque tamen mater septem Macha-

---

(1) Jul. Capitol. in Ant. Pio X.
(2) Cic. de Legibus II. 23.

baeorum, et Felicitas, aeque septem filiorum mater, quum eosdem a complexu abstractos conspicerent, atrocitate immani vitam Deo devotare, se crudelissimis tyrannis praestiterunt inexpugnabiles, ac jucundissima pignora ad mortem strenue subeundam et vultu et verbis et exemplo incitarunt. (1) Usque adeo amorem filiorum vehementior in Deum amor superabat, ut illae naturam ipsam vincerent, ut amorem illum penitus insitum ejicerent ex animo, ut denique matres se esse obliviscerentur!

XIX. Haec omnia, sicut alia eodem pertinentia, quae missa facio, ne longius abeam, si tecum ipse saepenumero volutares, ad mortem meditandam instinctu quodam voluntario adducerere, idemque tibi contingeret, quod Hieronymo, cujus animo diuturna mortis cogitatio ita callum vetustatis obduxerat, ut sive comederet, sive biberet, sive in litteris elaboraret, aut aliud faceret, haec ante oculos ei obversaretur. (2) Neque putes, mortis memoria semel atque iterum refricata, nihil tibi esse venturum boni. Turbulentas et incompositas animi perturbationes, quas in vitam hominum stultitia aut negligentia, quasi quasdam furias, immittit atque incitat, ita coercebis, ut a virtute numquam deficias. Sapiens dixit: In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis. (3) Quod satis explorate percepit vel ipse Venusinus poeta, qui, homo quamvis voluptarius, quum amicum Albium Tibullum adhortaretur, ut inter humanos affectus, quos Stoici quatuor numerabant, unumquemque diem ultimum putaret, hosce effudit cedro linendos versus:

Inter spem curamque, timores inter et iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. (4)

Contra ea, mortis memoria obliterata, perturbatio vitae sequitur et magna confusio. Tunc enim malae cupiditates, ini-

(1) II. Machab. VII. Greg. Hom. III in Evangelia.
(2) Comment. in Matth. V.
(3) Eccl. VII. 40.
(4) Horat. lib. II. Epist. IV.

micissimae virtutis, nulla umquam turpitudine retardantur, et in deterrimas partes jura Dei hominumque convertunt omnia; ita ut verum sit illud, quod dicitur: Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde (1).

At si mortem trabali clavo figes menti, non modo intimas commotiones, quum incitantur et impetu efferato feruntur, maxime cohibebis, et, quod datur vitae, tranquille placideque traduces; verum etiam caduca et mobilia fortunae et temporum munera, quae stultis ducuntur amplissima, ob eamque caussam conspiciuntur cum invidia, cum labore possidentur, et cum laceratione animi amittuntur, tibi potius erunt offensioni, quam oblectamento. Crede sapientibus et expertis: Facile contemnit omnia, qui semper cogitat se esse moriturum (2): Qui considerat qualis erit in morte, nihil, quod transeat, appetit, cunctis se vitae praesentis desideriis contradicit, et pene mortuum se considerat (3). Nempe, ut ait Plato in Phoedone, homo moritur, quum anima corpus relinquit solutum lege naturae: mori etiam dicitur, quum, adhuc illa in corpore constituta, corporeas illecebras contemnit, cupiditates comprimit, et dulces insidias, quibus undique stipati sumus, cautim devitat. Quae mors posterior omnibus exoptanda: prior non accersenda, sed eousque expectandum, quoad ille ipse, qui vitam dedit, animum a corpore dissolvat (4).

XX. Haec mihi fere in mentem veniebant, quae de vita hominis et de morte dicenda putarem. Monui, suasi, deterrui. Sed, ut unde est orsa, in eodem terminetur oratio, quantum in te est, cogita non magnum esse vivere: bruta etiam animalia vivunt. Magnum est homini recte et honeste vivere

---

(1) Jerem. XII. 11.
(2) Hieron. Epist. ad Paullinum.
(3) Greg. Moral. XII.
(4) Si fert animus, consule librum primum Macrobii in Somnum Scipionis, ubi Platonis et Plotini doctrinam de hac duplici morte luculenter explanat.

patienter et fortiter mori. At quum innocentia non rara, sed nulla sit, ideoque nemo inveniatur, quin delinquat in vita, peccata quaedam cogitando, alia optando, alia efficiendo, aliis favendo: ejusdem vitae memor incertique finis ejus, curaque et perfice, ut primo quoque tempore in eam emendandam, secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte, (1) tota mente incumbas, et in suscepto vitae instituto usque ad extremum spiritum inhaereas. Mortem tibi familiarem redde, et, quum bonum sit judicium ejus (2), in omni negotio eam tibi in consilium adhibe. Ita nullo animi morsu stimulatus, et fortissimis religionis praesidiis tectus, suprema illa hora te contra sollicitudines, quae conscceleratos omnes cum ob conscientiam factorum, tum ob aeternae poenae formidinem exedunt conficiuntque, tuebere et munies. Imo tunc intelliges, mortem bonis cuncta mala dissolvere, et non esse cruciatum et supplicium, sed aerumnarum requiem, quum illos ex luctu atque miseriis hospitii hujus mundi ad illud concilium coelestium trasferet, ut aeternis saeculorum aetatibus cum Deo ipso vitam agant quam beatissimam. Deus bone, illucescat aliquando ille dies, et largire, obsecro, haec nobis dona !!!

---

(1) Exod. XXV. 40. Hebr. VIII. 5.
(2) Eccl. XLI. 3.